





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-37803-p0002-3

DFG

AK 194. (10)
AK 194

Q. B. V.

Vg

5840

JO. GEORG. NEUMANNI

SS. THEOL. D. ET P. P.

ORATIONES DUÆ,
QVARUM ALTERA
DE
NUMMO AUREO,
QUO D. LUTHERUS CAROLO-
STADIUM AD CERTAMEN PROVO-

CASSE PERHIBETUR,

ALTERA

DE

DIVO JOHANNE
APOSTOLO

AGIT,

HABITÆ IN ACADEMIA

WITTENBERGENSI,

CUM MUNIA SACRA

CAPESSERET.

A. d^o c^o l^o c^o XCII.

VVITTENBERGÆ,
Apud JEREMIAM SCHREY & Heredum HENRICI JO-
HANNIS MEYERI.

1700
D. N. J. Ch. A.
D. C. R. N. S.
Icto. cl.
A. G. i. d. p.





J. N. J.

RECTOR MAGNIFICE.



T plurima sunt, qvæ propagandæ religionis intercipiunt cursum, officiisq;e divini-
nis impedimenta objiciunt, ita nihil reperiri atrocius, ni-
hil funestius excogitari po-
test, qvam cum ejusdem si-
dei Confessores semina
contentionis inter se spar-
gunt ipsi, infestis concurrunt animis, & acerrimas si-
bilites mutuo intendunt. Qvod si enim congredi-
endum cum hoste, & collatis veluti signis depu-
gnandum ; non aliunde majus robur qvam à con-
cordia est, qvæ vires nostras auget & instruit, ac una-
nimies in prælia fratres armat, ut canit Poeta : di-
scordia contra scindit Ecclesiam ac dissipat, ut non

A 2

aliter

alter atque antiqua domus nutritare, suisque convulsa
sedibus in terram defluere videatur. Corpori hu-
mano rarius ab externo casu periculum imminet;
nec tam insidiosum hoc malum est, qvin arte studio-
que propulsari poscit. Ast, qvod norunt Medicorum
filii, plurima mors intestinis abditisque visceri-
bus insidet, cum turbatâ, qvâ bellissime valemus,
harmoniâ, corpus intercutibus laborat vitiis, ab ini-
micâ febri familiâ emaciatur; artus depascuntur ta-
be, facies livido colore tingitur, totaque hæc compa-
ges in cineres tandem pulveresque discedit. Haud
absimilis corpori humano Ecclesia est, quæ multo
quidem robore valet vigetque, nec ullorum hosti-
um, qui aperto Marte irruunt, impetus extimescit: sed
intestinis affecta dissidiis, hoc pejus habere incipit,
quo lentius malum serpit, sensimque medullas occu-
pat, fibras elidit, &, quicquid in corpore virium est,
conficitque ac depopulatur. Sæpe subit recordari
illorum temporum, quibus Constantinus Magnus
vastam Imperii molem in se suscepit. Jam enim Im-
perator ipse ejuratis Paganorum sacrâ, vero Numini
se obstringebat, jam Christiana fides ad Indos, Persas,
Marcomannos & ultimos prope Solisterminos de-
vehebatur. Quæ sævientibus olim tyrannis sub cry-
ptis & cavernis latuerat sacra DEI gens, jam velut ex
voragine prodire & adspirare in aliquam quietem
cœpe-

cœperat: ne autem ab externâ hostium vi Ecclesiæ
inferretur clades, Francos, Bructeros, Alemannos,
Gothosque de vicerat Cæsar, Maxentium & Licini-
um Tyrannos subjugârat. Seddum Halcyonia parat
Ecclesiæ, dum Episcopos sibi quotidianos ferè comi-
tes reddit, conviviis excipit, planeque ut filios fo-
vet: illico invidiæ stimulo aguntur ipsi, mutuis effer-
vescunt insidiis, coque immanissimum Arianismi
monstrum excludunt. Namque Arius Alexandri-
nus Presbyter, cum electo in sedem Episcopalem A-
lexandro emergendi frustraretur spe: tanto æmula-
tionis odiique æstu in hunc Præsulem excanduit, ut
Sabellianismi incusaret illum, ipse vero in alterum
extremum incideret æternamque Filii naturam du-
biis involveret planeque inficiaretur. Adeo fœcum-
da hæresium mater ambitio est, ut, cum omni socie-
tati exitio sit, tum sacro in primis fundo incredibi-
lem afferat calamitatem. Non est, cur veterum ex-
cutiam annales, aut quæ in rem faciunt, paulo altius
arcessam, quando ipsa hæc literarum sedes, hoc puri-
oris fidei domicilium allegat casus & infaustos satis
& vel ideo nullâ ætate reticendos. Divus enim Lu-
therus, Vir invicti planeque divini animi, cum supe-
riori ævo ex diutinis tenebris veritatem protra-
heret, suamque majestatem verbo, libertatem Eccle-
siæ, ipsi denique Servatori decus ac gloriam fortiter

A 3

af-

ffereret: nihile quidem extimescebat omnes clau-
strorum greges, nihil tot Principum ac Pontificum
tremenda fulmina: Quid Cæsari ipsi causæ suæ ra-
tionem reddebat, mediisq; ex stragibus reverteba-
tur salvus. Sed quæ paratæ Satanæ artes sunt, in hu-
us Ecclesiæ gremio, in hac ipsa cathedrâ surgebat
divini negotiū interpellator, Andreas Bodenstein Ca-
rolostadius; qui ejec̄tis ex his templis imaginibus
Missæq; ritu abolito id imprimis agebat, ut præci-
puum fidei caput de Sacrâ Cœnâ perverteret, deser-
tâq; literâ peregrinam his verbis aslueret potesta-
tem. Quibus adeo rebus, infelicissimo, quod de
Sacramentis hodie agitatur, Certamini prælusit.
Tamen si autem nihil verius hoc ipso sit, nec superio-
rum temporum memoriam fugiat; solent tamen
illi, qui affinia nobiscum dogmata præ se ferunt,
ipsumq; fratriſ ſavifſimum nomen à nobis exi-
gunt, ita interpretari has molitiones, ut non in Ca-
roloſtadium certaminis hujus causam, transferant,
sed in Lutherum ipsum, quem ex Pathmo reducem,
nimiō incensum fervore, ajunt, Collegam ac ſocium
fidei urbe expuliffe & cum scriptis publicis certare
noluerit, aureō porrectō nummō in arenam ac dis-
putationem publicam invitasse. Quæ res cum o-
ſim objec̄ta fuerit ab Hospiniano, Hornbeckio, Al-
tingio, aliisq; ac recentioribus quibusdam Aucto-
ribus defensa, constitui hodiernâ luce, quâ Superio-
rum

rum voluntate hanc cathedram conscendi, dicere de
Aureo Nummo, quo Lutherus
Caroloſtadium in certamen pro-
vocasse perhibetur. Res non est ludi-
cra, Auditores, sed Historiam litis Sacramentariæ
ipsam involvit: quare, ut me differentem audiatis
benevole ac de momentis gravissimis sententiam fe-
ratis ipſi, ea, qua pars est humanitate, à Vobis omni-
bus contendo.

Atque ut rem initiis suit repetam: is fuit An-
dreas ille Bodenstein Carolostadius, qui Theologiæ
Doctoris, quin & Professoris in hac Academiâ nec
non templi ad arcem Archidiaconi munia titulosque
gescit: adeo non inimicus Lutherô quondam, ut
amplissimos in Theologiâ honores contulerit ipſi, at-
que in reformandi negotio comes adjutorque extite-
rit. Cujus rei documentum vel Disputatio Lipsi-
ensis est, Anno XIX. superioris ævi instituta, quâ
contra Johannem Eccium Lutheri hostem in con-
fessu Principum summorumque virorum decerta-
vit ille, nec infeliciter stetit: subremigante nonnun-
quam Lutherô, & cum in angustias redigeretur,
partes illius fideliter prenlante. Qvod vero po-
stea illo mentis errore captus, atque in perversissima
qvæque

quæque abruptus fuerit; ambitio, quâ misere agebatur, & Lutheri absentia fecerunt. Cum enim Wormatiam evocatus ac paulo post dirissimo Cæsaris editio proscriptus divinus Heros in arce Wartenburgensi velut in Patmo quâdam delitesceret, nec adeo administrandis Ecclesiæ rebus vacare posset: nunc opportunam sibi datam occasionem putabat turbator ea perficiendi, ad quæ furore quodam atque ambitionis stimulo ferebatur. Itaque primùm Luthero absenti insultare, arrodere ejus doctrinam ac perversere, caput in primis de S. Cœna velut non satis intellectum ex diuino quodam impulsu emendare, & in hunc torquere sensum voluit: τὸ ἐστι, i.e. hic sedet corpus meum: conversaque ad plebem oratione insolentius paulo dixit: neminem unquam ab Apostolorum tempore de Sacra Cœna rectius docuisse. Tum verò convocatis in hanc urbem Fanaticis hominibus, Pelargo, Stubenero, Münzero, à quibus popularis per Germaniam nata seditio est, quoddam velut sanctius satellitum aluit: atque his stipatus regalibus ad Ecclesiam se accinxit, non verbo, quod Lutherus præstiterit, sed facto reformandam: edito que eius rei specimine, ipse nec consultis Collegis, nec Magistratu in consilium adhibitō, ingressus hujus urbis templa est, suisque adjutus satellitibus quicquid statuarum, quicquid elegantioris ornatus, quicquid denique aurearum argentearumque imaginum

num fuit, confregit, ejecitq; & exturbavit. **Q**vi-
bus sic gestis, inopes consilii atq; obstupefacti,
qvitum supererant, Pomeranus, Jonas, Ambstor-
fius, Philippus, aliiq; qvantis poterant precibus
fatigarunt Lutherum, ut vel maxime detentus,
maturaret redditum, tantosq; tumultus præsens
compesceret. **Q**vi & morarum impatiens, & glo-
riæ divinæ incensus zelo, mense Martio Anni XXII.
Suis adfuit ac, ne intempestivus aut præcox ejus vi-
deretur impetus, conscriptos Academiæ consulto
Articulos Novatori exhibuit tentavitq; ut ami-
câ confessione r̄es componeretur. Cum verò nec
emolliri exacerbatus animus, nec frangi vel duris-
simis verbis posset: plebē ex suggestu informabat
Lutherus, non acri & objurgatoriā oratione, sed
per omnia tali, qvæ ne ullam quidem adversarii
mentionē injiciebat. Nihil temere affirmo, Audi-
tores, sed monumentis publicis innitor, & ea pro-
fero, qvæ nec adversæ parti inexplorata sunt, cor-
dateq; & constanter utrinq; asseruntur. Excedit
urbe Carolostadius atq; in scīis omnibus Orla-
mundam, qvod oppidum vix alterō lapide à Jena
distat, contendit: ubi, in ejeci Pastoris sedem sese
ingerit, suspectam Lutheri doctrinam facit, ædes
sacras denuò spoliat ornamentis suis, ac vicinas
adeo Ecclesiās sollicitat, pervertit, confundit. Ecq; vid
vero Lutherus? non illico ac suā sponte, sed elapso

B

de-

demum triennio , qvod ad fœnerandam huic rei
lucem in primis facit , jussuque Electoris Saxonie ,
cui haec ditio parebat , Jenam proficiscitur , Eccle-
siam à seditionis molitionibus , quæ tunc emerge-
bant , liberaturus . Carolo stadii primæ statim con-
cioni interest , finitisque sacris Lutherum conve-
nit , de injuria publicè sibi factâ conqueritur , ad
publicam contentionem se offert , pro doctrinæ
sua veritate ad extremum judicium provocat , atq;
per omnia immoderatus obstrepit Lutheru . Hic
vero in tanto hominum consensu , qui ad hanc
concertationem convolârunt , ad se ipsum rediens ,
negat , & auditores appellat testes de Carolostadio
publicè non lacesito , minus autem nihilo se dis-
putationem ejus vereri profitetur . Imo , ne diu-
tius ejus laterent dogmata , tractum ex crumenâ
aureum nummum objecit adversario , quem avidè
recepit ille , datâq; dextrâ , scripta se editurum pro-
misit , quin & vini haustu , quem propinaverat Lu-
therus , idem se facturum promisit . Ejectus Saxo-
niæ finibus turbator atque ad Tigurinos delatus
Anno XXIV . libellos suos edit , acerbos in Luthe-
rum mireq; dentatos : quibus seqventi demum
Anno librum suum adversus cœlestes Prophetas
opponit Noster . Vix autem interjecto mensis spa-
tio Uldaricus Zwinglius surgit , & suscepit Carolo-
stadii

stadii causâ, Commentarij divulgat de vera & falsâ religione, eoq; Heroem nostrum pungit ini-
quius, qvem brevi postmodum scripto excipit Pomeranus noster. Postea verò Zwinglii par-
tes Oecolampadius sumit, edito libro de genuinâ expositiōne verborum Domini: sed & illum XIV.
Doctores Svevici, inter qvos Brentius ac Snepfius familiam ducebant, condito Syngrammate con-
futant: qvod Oecolampadius iterum Anti-Syn-
grammate oppugnat, atq; hoc rursus discutiunt Theobald. Billicanus & Pirckhaimerus. Tandem
diuturno hactenus silentio usus & oppugnando papatu distentus Lutherus An. XXVII. eximum
scriptum: de verbis Christi adhuc salvis & incon-
clusis, aliudq; qvod Confessionem de cœnâ Ma-
jorem vocat, profert in lucem. Sic sublatis utrinq;
signis dimicatum, sic pugnatum in hunc diem, ut
nec receptui canere, nec nisi votis ac desideriis
concordiæ spem facere licuerit.

Itaq; primum certaminis Autorem &
concinnatorem litium, vestrum, inquiunt, habete
Lutherum, qui adeo sibi non temperavit, ut data
contentionis tesserâ, Carolo stadiū ad litem stimu-
larit, quo intermisso tantus undique tumultus non
videbatur futurus. Extant colloqviij hujus acta,
qvæ si penitus inspiciantur, autorem qvō edita
sunt, dissimulant, & multa continent, vana fuca-

taqve & in Lutherum iniqva. Unde ille peculiari
ad Spalatinum epistolâ conqveritur, librum hunc
famæ suæ insidiosum esse, plurimisqve mendaciis
mistum, sed tamen, ut concludit, patientiâ supe-
randum. Cum tamen hanc concertationem mi-
nimè neget, sed Tomo II. qvi Wittenbergæ pro-
diit, dati à se nummi mentionem injiciat: ne no-
stris qvidem haetenus illa res dubia incertaqve vi-
detur. At enim vero qvo animo qvibusq; induct9
causjs hunc nummum, qvem Rhenanum alii, alii
Florenum appellant, objecerit adversario; brevi-
ter dispiciendum est. Principio ad contendendum
scriptis se obtulit Bodensteinius, sed vereri se dixit,
ne Typographiæ usu à Luthero prohiberetur.
Hinc publicè testatum fecit noster, hoc abesse, ut
impedire velit, qvo minus vel typis exscriberetur
libellus, vel excusus publice divenderetur; ut con-
tra ad liberandum se ab hâc suspicione, malit, & da-
tâ iniqvitatis mercede, optet, Carolostadium pro-
dire in publicum, sanamq; mentem in rebus dubi-
is explicare. Tum verò in more positum habebat
Fanaticus, sententias, qvas passim disseminabat,
clausas habere atqve teqtas, nec publicis scriptis, ut
maximè præ se ferret, promulgare. Qvare
nummum Lutherus obtulit, non, ut autoramen-
tum litigii esset, sed tessera desiderii, qvo in verita-
tem

avpce

tem Carolostadii, si qva eslet, rectius cognoscendam, & ab hæreseos suspicione eximendam propendebat. Minus nocent Ecclesiæ errores publici, qvàm clanculum serpentes; nec exitiosior hæresis fuit, qvàm qvæ parvis spretisqve initiis crevit. Jam si vel unicâ paginâ doctrinam suam Scripturis Symbolisq; conformem exhibuisset, ab omni hæreseos se liberaasset culpâ. Resecus eveniente, Ecclesiæ consulendū erat, ut à seductore liberaretur. Solent Fanatici, qvod multis retro seculis observatū, non pandere ac aperire placita sua, aut suspensâ hederâ errores propalare: sed vel nihil apertè palamqve proponere: vel, si qvid in lucem proferrunt, abstrusis involvere sensib⁹, per fundere tenebris, & suam occœcare orationem. Donatiani, qui sanctum in his terris cœtum, nec ullis infectum maculis jaetabant, latebant diu, clanculumq; turbabant Ecclesiam; tandem ab Augustino, &, qui eum seqvebatur, Optato Milevitano protrahebantur ex latebris. Circumcelliones, qui in cellis dominibusq; hominum se abdebat; Angelici, qui Synodo Laodicensi notabantur, nihil, qvod sciam, ediderunt: latitare malebant potius, & qvantas tamen poterant, Tragœdias excitare. Qvorum ad exemplum ne clanculum noceret inquieti animi vir, sed ab Ecclesiâ dignosceretur, suis ipsum sum-

pti-



ptibus Lutherus stimulat; imo cum primum pro-
tulisset librum, duplo majori pretio se redempturū
fuisse Lutherus ait, si sacræ Scripturæ dictis senten-
tiam suam *roborasset*, aut, qvæ protulit, *explicasset*.
Erat hæc consuetudo ævi Apostolici pragmatica,
ut probarentur Spiritus, anteqvam Ecclesiæ cen-
surâ publicâ notarentur: fructus ergo fœtusqve
doctrinæ insuper expetebat Lutherus, de facinori-
bus hic Wittenbergæ patratis jam certior omni-
no factus. At receptum tamen nummum, inqui-
unt illi, non aliter interpretabatur Carolostadius,
qvam in Clarigationem litigiiqve autoramentum,
dum toti concioni ostendit, ac obligatum se puta-
vit ad libros in publicum emittendos. Clarigatio-
nem nihil aliud, qvam denuntiatio belli & amici-
tiæ qvædam dissolutio sit; se felliit se Sacramenta-
rius, qvod in rixas & dissensiones sese redemptum
putavit. Nā detegendæ veritatis non dissidii alendi
ignum hoc fuit. Olim quidem ex institutis gentiū
belli indicendi Symbola erant: Sceptrum Merku-
rii, hasta sanguinea, herba graminis purior, ranæ,
mures, & qvicqvid levissimarum rerum à Feciali-
bus perferebatur. De Aureo vero nummo nihil
constat; qvin contractus, conciliandæqve amici-
tiæ tessera in hanc apud Gothos qvondam no-
strosqve Germanos fuisse, Autore non contem-
nendo edocitus sum. Lutherum certe suo cum
Sym-

Symmysta ac Promotore redire in gratiam ac veritatis causam agere voluisse, datum hoc Symbolum testatur. Qvin imo ne plane ab antiquo Amico videretur aversus, rorante insuper poculo excitare ipsum, atque reconciliare sibi studuit: id minime facturus, si vel odio in illum flagrasset implacabili, vel de convertendo fratre penitus desperasset. Ecquid vero impulit eò Lutherum, ut ex arce suâ discesserit, non vocatus ad hanc pugnam, & præterea à Cæsare atque Pontifice ab omni hominum societate exclusus? Qvod dum urgent illi non intelligunt satis gravissimas rationes, quibus ad redditum commotus ille fuerit. Primù m enim à Senatu Academico multis precibus exorabatur, qui in causa Fanaticorum definiendâ fluctuabat magnopere ac sibi dissidebat ipsi. Philippus sane Lichtenbergam una cum Amsdorffio evocatus ab Electore ad dicendam de negotio sententiam, nō suo sed Lutheri iudicio opus esse respondit, nec melius ab alio quoqvā posse expectari, se certè parcim non esse, ut de causa tā arduā pronuntiaret. Deinde indignum Doctore videbatur deserere Ecclesiā, tanto labore ac periculo cultā, eandemq; lupis discerpēdam relinquerē. Jam tempa in solitudinem propemodum versa: Scholaqve oppidana non literarum culturæ, sed pinsendis panibus patuit.

Suus

Suus catnedræ Doctor, suus suggestui sacerdos de-
fuit. Obtritum studiorum decus, paratumq;e in-
scitiæ atq;e ruditati patrocinium fuit. Plurima
qvippe Academiæ & oppidi pars turbatoribus ad-
hæsit: imo, qvod mireris, ipsum FRIDERICUM Ele-
ctorem proclivem in has partes & prouum reddi-
derant. Factâ enim de extirpandis hominibus de-
liberatione, ipse consultissimum dixit, ut missos
istos facerent homines, incertum enim esse even-
tum DEIq;e consilium, qvi s;æpe viliū homi-
num ministerio in rebus gravissimis fuerit usus.
Qvibus ad Lutherum perlatis, properandum sibi
putavit, atq;e conclamatis Ecclesiæ rebus succur-
rendum. Indignantî vero Electori & redditum im-
probanti, peculiari, qvæ extat, epistola in hunc
modum respondit: *Urgent me causæ inevitabiles,*
DEUS cogit & vocat. Sciat Celsitudo Tua me longe
potentiori sub protectione qvām Electorali VVit-
tenbergam ire; nolo à Te protegi, nec gladio ad hanc
causā opus est, DEUS absq;e ullo hominum auxi-
lio illam est curaturus. Excusatus itaque es, qvo-
miam Tibi obseqvi nolo, si capiorego aut occidor.
Noli Cæsari vi resistere, patere, ut agat aduersus
me qvæ velit. Non potest à Te postulare, ut Carnifi-
cis munus aduersus me exerceas. Ex his omnibus
viri invictus animus dispalescit, qvi non potuit dis-
simulare divini motus characteres tot hactenus
exem-

exemplis comprobatos. Sunt tamen, qvæ in
Lutherò nostro reprehendi solent: Censorium
supercilium, vehementia animi, incursum & impe-
tus, qvibus omnibus suam, qvam ex reformandi
opera conquisivit, famam obliterârit. Reducem
enim Lutherum, ajunt, objurgationibus intempe-
stivis & concionibus è suggestu habitis acrius con-
citasse Collegam, tandemqve hac Urbe expulisse.
At enimvero, qvam prudenter egerit Lutherus,
exhibitis Academiæ nomine Articulis, qvantaqve
solicitudine lenire ac mitigare turbidum homi-
nem studuerit, monumenta, qvæ supersunt, lo-
qvuntur: hujus enim orationis modulum longis-
simè excedunt. In concionibus autem VII, qvæ
habitæ ad plebem sunt, & omnium oculis patent,
nihil reprehendo minus, qvam acerbitatem. Bre-
ves illæ sunt, planeqve accuratæ: nec enim se per-
misit facundiæ, nec ullam adversarii mentionem
injecit: ceterum eruditionem non tralatitiam spi-
rant illæ, deqve Missæ ritu, de Imaginum cultu atq;
usu, de Cœna Domini, de Confessione Sacerdoti
reddendâ, aliisqve argumentis solidissimè infor-
mant. Ita plena Sapientiæ scripta Lutheri sunt, nec
ulla mihi pagina lecta, qvin singulariter eâ mihi vi-
dear profecisse. Urbe autem ejectum fuisse Fanati-
cum a Lutherò, gratis omnino fingitur, cùm insci-
is omnibus discesserit, qvando Sleidanus ipse, ex-

C

ces-

cessisse commemorat illum , suaq; sponte evasisse.

Nunc ipsi judicabitis, Auditores: Lutherone
an Carolostadio Reformatorum antesignano cul-
pa litis Sacramentariæ adscribenda sit ? Primus e-
nimi qvi Lutherum absentem verbis lacesfivit, Ca-
rolostadius fuit, idemque primus, qvi scriptis illum
imperiit & impugnavit. Si provocatum auro , si
fatigatum, si ad id compulsum dicis, nihil objicis
nobis, cum non ad lites & creandas Luthero mo-
lestias provocatus sit, qvis enim prudens hoc fece-
rit ? Sed ad testandam veritatem seqve ipsum ab-
hæreseos crimine liberandum. Ecquis Zwin-
giliū solicitavit ? Ecquis Oecolampadiū cete-
rosque Carolostadii propugnatores ? & illi tamen
ultra propriaq; libidine hanc pugnam ingressi,
acerbis scriptis pupugerunt Lutherum. Qvita-
men placide acqvievit, nec, nisi elapsō triennio u-
triq; respondit. Exspiratus haud dubie ignis e-
rat, qvem duo fovebant , nisi afforum afflatū, in-
tantum, qvo nunc est incendium prorupisset. Au-
diamus proinde Melanchthonem, qvō nomine
nihil svavius habent Reformati , ea præfatione
qvam libello de Cœna Domini præmisit. Caro-
lostadius, inquit, primum excitatit hunc tumultum
homo ferus, sine ingenio , sine doctrinā, sine sensu
communi qvem nullum unquam humanitatis offi-
cium

cium aut intelligere aut facere animadverimus:
tantum abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus
Sancti animadversa sit, imo extant manifesta signa
Impietatis. Totam illam Fanaticam Anabapti-
starum doctrinam statim initio ambabus manibus
amplectebatur: Cum eam in Germania ferere cœ-
pisset Nicolaus Pelargus, & Controversiam de
Cœna Domini: (qvæ verba mirificè causam no-
stram juvant) tantum odio Lutheri non aliquâ pie-
tatis opinione movit. Ne autem nullo testimo-
nio id videretur asserere, ad plerosque Germanos
provocat. *Bona, inquit, pars Germaniae testari pot-
est, nihil me in hac re fingere.* Extat & Lutheri E-
pistola, qva Bucero in causâ componendæ litis re-
spondet his verbis: *pace nihil optabilius no-
bis: non hanc Tragœdiam movimus primi,
sed coacti respondemus.* Plura in hanc senten-
tiam congererem, Auditores, nisi in rebus claris-
simis Vesta patientia viderer abutii. *Quin potius*
Deum immortalem precibus suspiriisque suppli-
cibus veneror, ut servet Ecclesiam, omnes veritatis
hostes ab aris hisce, à templis, à laribus nostris lon-
gissimè arceat, inimicos, qvi novas turbas sub late-
bris excitant, disturbet, & ad meliorem mentem
reducat. Inprimis autem cædes, vulnera, & qvi-
cunque sanguinem spirant casus clementissimè

avertat, atq; ve huic Academiæ tempora largiatur
tranqilla, ut in honesto literarum otio delitescere
svaviter ac divini Numinis honorem Ecclesiæq; ve
provchere commoda q; ueamus.

D I X I.



RECTOR MAGNIFICE.



olycarpum Smyrnæ-
um, Patrem ex Apostolo-
rum ævo superstitem, ad
summum sacerdotii culmen
ideo evectum fuisse perhi-
bent, qvod Johannis Apo-
stoli qvondam obierit scho-
las, saluberrimisq; doctri-
nis, qvas ille singulari Numinis afflatu acceperat,
ab ineunte ætate fuerit imbutus. Qvæ enim pri-
mùm fundata, qvæq; ad cultum ac dignitatem
usq; exornata fuerat ab Apostolo, Smyrnæa Ec-
clesia: præconem verbi ac præfulem haud alium
expetebat magis, qvam primi Auctoris Doctorisq;
legentem vestigia, ut adeo nec Antesignani sui
amit-

mitteret mēmoriām, nec à verissimis, q̄as inculcaverat, sententiis avelleretur. Qvod si enim extra domum qvārere successorem vetat civilis prudentia, ne vel latæ ab Antecessore leges evilescant, vel in ludibrium nomen ac prosapia Principis vertantur: permagni qvoqve refert, propagare easdem in Ecclesiâ leges ac rationes, ire per majorum vestigia, cultam anteà viam rectè munire, nec vela dare, cum tempestas aliqua ingruit, nec ubi Sectarum exsurgit numerus, ad obiectum errorē titubare.

Procul hinc facesso ambitionis causas, sed si tamen immutatam Ecclesiæ faciem, si ipsam hanc cathedram intueor, vix aliud subit arbitrari, qvām priscæ ætatis aliquam sive umbram, sive imaginem rediisse in scenam. Qvod enim in hanc sedem enectus fuerim, qvod Ecclesia me obvio velut gremio suscepit, non ad meam ipsius virtutem, qvæ nullo pretio est, sed ad DEum, maximumqve Præceptorem B. Waltherum refero, qui incredibili illâ suavitate, illo corporis splendore dicendiqve fulmine Divi Johannis nobis reddebat exemplar; eaqve florebat inter suos auctoriitate, ut formati ab eo fictiique Auditores aliquo etiam loco numeroqve vel post fata illius habarentur. Evidem, quam difficile fuit Smyrnæo Præsuli, succedere in locum Johannis, qui incitati-

one divinâ actus , scientiâqve & præsensione re-
rum futurarum collustratus , ipsius DEi agebat in-
terpretem ; tam qvoqve arduum ac sublime vi-
detur , relictam à Walthero ornare provinciam , ut
demirer ipse ac propemodum stupeam , Virum ,
qui dono qvodam divinæ providentiæ videbatur
genitus , in qvo Eloquentia atqve doctrina o-
mnes suas experiebantur vires , illico eripi è me-
dio , ac in ipso ætatis robore prosterni ; contra sur-
rogari in ej9 locum hominem nec auctoritate gra-
vem , nec salutaribus instructum præsidiis , & qui
cum qvovis eximio comparatus viro , vix in se-
cundis tertiusqve consistat .

Facile est , partes sumere hominis obscuri ,
nec virtute multum spectati : sed verò evehi in se-
dem viri omnibus propemodum numeris perfe-
cti ; difficile sanè opus est , plenumqve periculo-
rum ac insidiarum . Polycarpum quidem Præ-
fulem Irenæus refert , multa sæpè Doctoris sui di-
cta narrare solitum testatumqve subinde , voces
ipsius sibi in auribus adhuc sonare ; nec ingratum
ob id civibus suis extitisse . Sed nec illud alienum
à me esse judico , qvando memoriâ non effluunt ,
qvæ à B. Præceptore sapienter tradita sunt , mul-
tiqve adhuc hærent , qvibus me instruxit ille , ser-
mones fideles : qvin adhuc oculis meis illius ob-
servatur imago : jamqve amplam illam atqvere-
giam

giam corporis speciem, jam incesum, qvo pergebat, jam vultum, in qvo tanta gravitas eminebat, conspicere, jam ipsas elegantissimas orationes, qvibus hæc animabatur cathedra, audire mihi videor, nec poterit ulla res intervenire tanta, qvæ hujus Viri memoriam ingrata oblivione extingvat. Exigit hodierna dies argumentum orationis, qvod, cum reconditum omnes nec vulgo obvium desiderent, plane migrabo hunc modum; qvin potius, ut memoriam B. Antecessoris mei qvodammodo recolam, & recitationum mearum, qvas in D. Johannis Epistolas meditor, felix auspiciu[m] faciam; deliberatum mihi est dicere:
De Divo Johanne, Apostolo quidem illo & Evangelii conditore. Non equidem Encomiasten Johannis agam; Cur enim dilaudem illum, qvem nemo unquam bonus vituperavit? nec ea persequebar, qvæ Eusebii, Prochori, Gregorii, Nicephori aliorumq[ue] dubiis Commentariis asseruntur; sed ea tamen qvæ literis divinis de eodem sigillatim prodita sunt, brevi nec ad unguem factâ oratione edisseram, ut qvantus fuerit Apostolus, cuius Epistolas interpretandas mihi sumsi, haud obscurè intelligatur.

Ut me dicentem rerum multitudo obruit, ita, qvid primo, qvidq[ue] altero ferè loco expoenit.



nendum sit, suspensum planè tenet. Si enim nihil diceretur aliud, quām quod Servatori Deo ab exordio summi munera adhæserit, eiique morbos fuganti, immundos Spiritus ejicienti, aliaque miracula excitanti perpetuus adfuerit testis: Magno quidem sed communi tamen cum ceteris Apostolis elogio maestaretur. Proprias potius & quæ peculiares sanctissimo Praeconi sunt, laudes per se quas. Theologi cognomen obtinuit noster, ut reconditi vaticinii monstrat Epigraphe, quod Encomium inde sustulit, quia doctrinā de Filii Divinitate, quam olim Theologiam nominabant veteres, contra θεομάχος illius temporis acerrimè propugnavit. Tametsi enim nec reliquis prætermis locis hoc dogma fuerit, nec perfunctoriè tractatum; Johannis tamen Spiritus, velut aquila, evolare altius & supra cœlum migrare visus, Dei Filium singulari verbo, λόγον; Patrem aeternum lucem; Sanctissimum vero Spiritum, Unctionem sublimi & plenissimo mysteriorum charactere notavit. Non Vaticinia edebant, qui Apostoli fungebantur munere: Legati enim erant, quorum enarrare fuit, quæ evenerunt, non, quæ futura sunt, prænuntiare. In Johanne vero nostro utraq; hæc munia copulata conspicias: Non edocet tantum ille & prædicat, quod Apostoli est, sed & prædit, dicit,

dicit, qvô se Vatem divinumqve Prophetam si-
gnificat. Ecquis est Apostolorum, cui sub Baby-
lonis imagine illa Anti-Christi sedes ostensa, & cui
præter Johannem nostrum triumphans Ecclesia
sub nitidissimâ Hierosolymæ specie posita ob ocu-
los atqve expressa fuit? Qvantum vero laboris ac
studii in annuncianda gentibus sapientiâ cœlesti
posuerit, factorum tot itinerum commonistrat ra-
tio, qvæ ex Scripturis Sacris elucet. Relictâ Soly-
morum urbe in Samariam transiit, atqve hujus re-
gionis incolis ad cultum Christi conversis ad san-
ctam hanc urbem est reversus. Iterum vero hinc
solvit, atqve Ephesum longinqvo itinere petiit.
Tum Smyrnam, Pergamum, Sardes, Laodiceam a-
lliasq; Asiae civitates in fide instituit. Nunquam vel
disjunctissimæ terræ passibus peragrari citius que-
unt, qvam hujus non dicam cursibus, sed doctrinâ
verbiqve æterni præconio collustratæ fuerunt.

Nec gemino tantum hoc officio se nobilita-
vit Noster, sed Evangelici quoqve muneris gloriâ
immortalem sese recddidit, & reliquis facile omni-
bus superior evasit. Jam sub nascentis Ecclesiæ ini-
tium sacro cœtui obstrepebant Ebion simulac Ce-
tinthus, homines vecordes ac varii, atqve extra
Christi scholam educati, qui, cùm multa in Mat-
thæi aliorumqve Evangelij desiderarent, hic in-
citatus Numine divino Paralipomena quasli sup-

D

ple-

plevit, indictoque ut Hieronymus refert, publi-
co jejunio Evangelium condidit infestosque Dei
hostes convicit. Cum Filium illi negarent geni-
tum ex Patris Essentiâ, veluti omnis corporeæ mo-
lis experte, Filium è phrasî Mosaicâ vocavit ver-
bum, tanquam conceptum mente, ac ubi tempus
instaret, ore prolatum editumque in lucem. Cum
divinam ejus gloriam ac majestatem attererent
illi, nec conspectam oculis nec invictis testibus
confirmatam: *Vidimus*, inquit Noster, non suo tan-
tum sed aliorum testimonio fretus, *Vidimus glorii-
am ejus velut unigeniti à Patre*: & in Epistolâ Ca-
tholicâ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod
vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus
nostræ contrectarunt, verbum vitæ testamur &
annunciamus vobis.* Hinc tuba Evangelii & rerum
Cœlestium quidam Buccinator Patribus audit.
Namq; id consecutus est, ut ob istū dicendi impe-
tum, quem Græci Rethores Θύμον appellant, ful-
gurator quidam, & filius tonitri diceretur. Plane
ut Jovem maximum Homerus Οὐρανέτην, seu
altitonantem appellat, quo verbo non sonitus tan-
tum ietusque fulminum, sed vehementiam quo-
que ac vim sermonis, quâ percellebat homines,
Poëta expressit. Illud verò multò admirabilius, ac
nemini domesticorum & familiarium Christi con-
cessum, quod in ultima illa saluberrimâque cœna,

qvam

quam ante obitum suum instituerat Servator,
in ejus Sacrosancto sinu recubuit. Non erat satis,
conscendisse Taborem montem , & gloriosissi-
mo spectaculo interfuisse : quæ felicitas Petrosi-
mul & Jacobo obtigit. Quantus tum in facie ejus
splendor ! quam niveo & vel astra superante can-
dore vestimenta ejus reucebant ! Quantus undi-
qváque divinitatis conspectus ! Sed nunc ad am-
pleteendum Deum paulo proprius admittitur :
Gravatum anxietate caput inclinat in pectus Chri-
sti, in hoc sese reficit, in hoc quiescit, atque circa hunc
reliquam corporis partem circumfundit. O admi-
rabilem discipuli cum Magistro conjunctionem !
O inexplicabilem suavitatem , quæ ex immortalis
Dei sinu in hominem instar cujusdam torrentis
reundavit ! Magnus equidem vates ac prae*c*o erat
Johannes Præcursor , adeò, ut vel Christi elogio
major ex hominum genere non putaretur exor-
tus ; Et tamen ita indignum sese existimabat ille,
ut ne excalceandis quidem pedibus ejus idoneum
se crederet. At enim iherò Johannes noster multò
arctiori vinculo Christo coniungebatur , quia ejus
innexus cervicibus , arctissimisque complexibus
alligatus fuisse legitur. Equidem elevare hanc tan-
tam familiaritatem conantur illi, quibus veterum
accumbendi ratio perspecta est : jacuisse enim, a-
junt, Hebræorum ritu , reclinata superiori parte

corporis in cubitum sinistrum ; inferiori in longum porrecta & jacente , capite leviter erecto & dorso pulvillis modicè sustulso : discubentibus ergo Christo & familiaribus , accubuisse Petrum perhibent à tergo Christi , & Johannem à pectore : Johannem in sinu Christi , & Christum in sinu Petri . Qvibus omnibus ut non refragamur magnopere , ita causam dari cupimus , cur Johannis accusitus memoratus fuerit , Petri ceterorumque accumbendi ritu planè omisso . Atque hanc quidem textus affert multo evidentissimam , quod hic ille sit sectator Christi , quem tenerimo præ reliquis affectu fuerit prosecutus .

Longè plura sunt , Auditores , quae Johannem nostrum in sublimi collocant , & à reliquis Christi Præconibus distingunt . Cum jam ex cruce pendet mundi Servator , capitiq ; ejus corona è spinis nexa imprimetur , cum palato morientis obrigesceret lingua & jam mortis caligine oculi clauderentur ; matrem suam , quod in terris charissimum erat , adstantem cruci & morti suæ ingemiscit conspicit : Sed quomodo alloquitur ? Qvibus verbis solatur ? Cui denique commendat ? Non alii cuidam , quam suo , quem tantopere dilexerat , Johanni . Mulier , inquit , ecce filius tuus , capitis & oculorum nutu Johannem designans , deinde ad Johannem

nem: Ecce, mater tua! Non poterant ex ore morientis verba fluere dissertius, nec ad commeridianam matrem efficacius exprimi, quam quod filium matri redditum diceret in Johanne. Hunc enim perinde ac filium, curam S. matris habiturum, hunc ipsi futurum praesidio pollicebatur. Miror ipse, cur non Petro, Apostolorum Coryphaeo haec tanta delegata hereditas sit: cui si obtigisset, quantum non autoritatem & ipse, & qui ejus sese fingunt successores conseqverentur. Sed Johannem in locum suum substitui volebat Dominus, in quem tam singulari tamque arcano quoddam affectu propendebat. Hic enim est, qui ad sepulchrum Christi eam celeritate properavit, ut etiam Petru curiendo vinceret. Hic est, qui, cum in vitam superatam morte Servator rediisset, stantem in litore primus agnovit, ac Petrum de eo informavit. Hic omnino ille comes Christi, qui reliquis facile omnibus palmam amoris gratiaeque præripuit.

Sed nec illud prætermittendū, quod Senio & vivendi spatio reliquos Christi Auditores supergressus est, vitamque ultra illud, quod vivebant Apostoli, ævum porrexit. Evidem multorum nec ex triuio Doctorum sententia fuit, immortalem mansisse nostrum, nec vitam adeo cum morte commutasse, quæ opinio insprimis Augustini ætate vi-

ge-

gebat; Tradunt, inquit, alii non defun-
ctum, sed defuncto similem cubuisse, & cum
putaretur mortuus, jussu] fuisse dormi-
entem, donec Christus veniat, sic mane-
re, suamq[ue] vitam scaturigine pulveris in-
dicare; qui puluis creditur, ut ab imo ad su-
perficiem tumulo ascendat, statu quietis im-
pellit: id qvod Gregorius Trapezuntius integro
de vita Johannis libro exseqvitur. Verum ex ver-
bis Christi non satis expensis haec enata est opinio.
Quærebatur ex Servatore Petrus, num itidem vio-
lentâ morte Johannes obiit, suamque erga Ser-
vatorem constantiam martyrio declaraturus sit;
quæ cum curiosa magis quam utilis rerum aliena-
rum inquisitio foret, respondebat quidem, sed ita
ut rogantis animum abduceret ad alia; nec proin-
de immortalem futurum Johannem ajebat; sed
si volo eum manere, donec venio, quid ad Te?
Audisti Petre, quæ ad te pertinent, cur alia quæris,
cur divini judicij & justitiæ secreta rimaris? Nam si
etiam cuperem vel minimè hunc mori, quid tu in-
deemolumenti, aut quid solatii ex ejus martyrio
consequereris? Ac morte quidem placido sopor-
ri

ri simillimā occubuisse nostrum, Polycrates au-
tor est, Johannis ipsius, si ita loquiliacet, in præsula-
tu Ephesino successor, cuius Epistola ad Victorem
perscripta, apud Eusebium extat, dignum omnino
fide & approbatione monumentum. Multò
nunc forent plura, qvo pacto, in ferventis olei
dolium conjectus illæso corpore exierit, ut lethale
poculum biberit innocuus, ut ex lavacro Cerinthi
ædium ruinam veritus aufugerit, ut Drusianam è
mortuis resuscitaverit, ut relegatus in Patmum ad-
mirandis visionibus gavisus fuerit, qvo denique
ordine ac tempore libros conscripserit, Canonem-
que obsignarit; sed nolo orationem vagari latius
ac in ea se se diffundere, qvæ vix absunt à disputa-
tione; qvin frenis potius ab omni excursu revo-
canda est, ne fastidium Vobis, re adeo evidenti pa-
rere videatur.

Qvod igitur æternum NUMEN huic Aca-
demiæ & Vobis omnibus faustum & fortunatum mi-
hiqve fructuosum ac salutare esse jubeat, à Musa-
rum deliciis ad magnificas illas omniqve nectare
svaviores verbi divini dapes, ab ambiguis Pythiæ
responsis ad æternæ mentis oracula, à ficta illa mi-
réqve celebratâ Deorum multitudine ad veri u-
niusqve Numinis scientiam nunc transeo. In
seipsum recedit animus, & vacuus viliorum cogi-
ta-

cationum altius emicat, voluptateq;e incredibili,
q;æ ex contemplatione Sacrorum suboritur, per-
fusus ac plenus, magis magisq;e descendit studio
inardescit, nec ante subsistit, q;am in sublimissi-
marum rerum cognitionem intromittatur. Erunt
fortassis, ut non desunt iniq;i rerum censores, q;vi
nihil ex Poësi fructus, nihil ex utriusq;e studii affi-
nitate emolumenti ad S. Theologiam affer-
ri existimant: à q;ibus hoc dissentio luben-
tius, q;o felicior s;pe ab arte Poëticâ ad veneran-
da Theologiæ Mysteria transitus fuit. DANNHAUE-
ROS, RAPPOLTOS, CARPZOVIOS, GREENIOSQ;E in ex-
emplum adduxisse satis est, q;orum imitari virtu-
tem, est pleno ad immortalitatem gradu conten-
dere. Alii in istam, q;æ mihi obtigerit, fortu-
nam declamabunt, atq;e invehentur in provi-
dentiam divinam, benignius aliquando res mor-
talium dispensantem. Sed enim verò, si ex otio
tranq;illoq;e vivendi statu hominum felicita-
tem æstimes, nihil verò minus q;am felicitatem in
hoc tanto munere mihi spondeo affulsuram.
Transiit illud tempus, & non ita pridem fuit, q;o
remissionum atq;e curarum partes dividere, actis
laboribus jam solvere frontem, & liberali volu-
ptate perfundere mentem atq;e recreare corpus
licebat. **N**unc, ubi densior negotiorum moles
in-

ingruit, aliusque ex aliis labor oritur, istis quidem
laetitiis remittendus est nuntius, ac in aliis longè
rebus, quam vitæ promittunt ludibria, quærenda
voluptas.

D. Johannem, memoriæ prodit antiquitas
aluisse in cubiculo suo perdices, cum quibus ali-
quando otii fallendi causâ luserit, & precibus je-
juniisque maceratum refecerit corpus; irrigum ve-
ro ab homine seculari, & quod indignum munere
suo facinus committeret, reprehensum fuisse.
Adeo in Sacerdotes censorio omnes superciliosi
sunt; idemque illud, quod in aliis dicitur laudi, in
his vicio datur, gravissimamque reprehensionem
incurrit. Demens profecto forem, si meliore
me sorte affectum vellem, quam, quæ Gentium
Doctorem exceptit Apostolum de præmio labo-
ris ita conquerentem: δεσμά με καὶ θλίψεις μέ-
νγος. Nec ita tamen effeminati animi sum, ut
rebus asperis succumbendum, aut ita efferati &
inquieti, ut reluctandum iis temere esse censem.

Vos alloqvor, qui in partem solitudinum
ac laborum allesti estis, Venerandi Sacrorum
Antistites; omnes intelligunt, quantum à candidis
capitibus Vestris hic cultus habitusq; corporis mei
abhorreat; nec quisquam ignorat, me utroque
Vestrūm hoc inferiorem esse, quo magis ab ætatis

E

Ve-

Veftræ spatiis recedo. Ut erqve Vestrūm prægravis
qvidem annis & meritis in Ecclesiam illustris est;
sed tamen uterqve per immensam Dei bonitatem
animo viret vigetq; , ut, si mentis bona spectemus,
cum omni vel ineuntis ætatis flore queatis conten-
dere. Deus hunc vigorem Vobis servet Patres,
ne,dum undique titubant Ecclesiæ præsidia, Vos
trepidetis aut proni in baculum, lassa trahatis vesti-
gia, sed firmi ac vegeti persistatis, nec sarcinulas ve-
stras ante parta Ecclesiæ Halcyonia colligatis, Deus
Vos servet!

Nec minus quoque Vobis me debere intel-
lico, Patres Conscripti, qvorum Patrocinio SERE-
NISSIMO ELECT. SAX. innotui, & Vobis in primis Sapi-
entissimi Ordinis Philosophici VIRI, qvorum erga
me affectū sensi plane incredibilem, favorem au-
tem omnium tantum , ut, qvibus colere officiis,
qvibus studiis prosequi illum debeam, qvam mi-
nime in me reperiam. Quem enim mihi non sum-
seram ascendendi animum, Vestro suffragio ultro
addidistis, &, qvi se virtute inferiorem meminit,
vobis met ipsis superiorem esse sponte voluistis.
Vobis Doctoribus profeci, à Vestro ore, qvantum
Academiæ ætatis memoriam revoco, unicè pe-
pendi. Itaque hanc nostram conjunctionem,
hanc jucundissimam vitæ atq; laboris societatem
porro stabilem esse exopto.

Tan-

Tandem verò & Te alloqvor, Florentissima
Juvenum concio; Tuos enim cum vultus in me
conversos intueor, facere non possum, quin læter
ex animo & propemodum exsultem. Namq; ad-
huc durat honor studiis nostris, adhuc florent ar-
tes literæq; omnis sapientiæ instrumenta; nondum
rugas aut senium quasi attraxit Academia nostra,
nec pristinum decus suum decoxit planè. Lusci-
nias fingunt Poëtæ circa Orphei tumulum nidum
struentes svaviores multo cantus edere , qvam,
qvæ in densissimis silvis locisq; amœnissimis ho-
spitentur. Illud autem ex vero est, & jure qvodam
affirmari potest , circa hunc Divi Lutheri tumu-
lum circa sanctos hos cineres, qvos Academia ser-
vat reconditos , puriorem multo quam ullibi ter-
rarum editum fuisse concentum , ac sonare hodie-
num , nec falsas voces aut flexiones severas in Pia
Concordiæ Formulâ audiri. Personant h̄ic divinæ
juxta humanæq; artes , nec ulla sapientiæ pars ta-
cet ; Qvæ non oracula, qvos non congressus & pu-
blicas certaminum species intueri atq; quotidiè
audire in promptu est? Hic Orientis, hic Græciæ,
hic orbis Romani florent scientiæ , nihil eruditio-
nis, nihil literarum potest desiderari. Num de me
qvoq; aliqvid emolumenti speretis, Commilito-
nes, haudq; vaqvam affirmare ausim. Haud enim
immodicus mei æstimator sum, sed censor ipse &

E 2

im-

implacabilis propemodū vindex. Illud tamen sine
jactantiæ suspicione edissero: nunquam, ex qvo e-
rudiendæ juventuti operam dedi, coronam opti-
morum Civium, qvæ rara sane & invidenda felici-
tas est, me destituisse. Nunc me Vobis paulo pro-
pius jungam. Neminem vestrūm aditu , nem-
nem familiari congressione prohibebo. Egenis
juxta ac rerum affluentibus eundem vultum, eun-
demq; animum ostendam. Ecqvid enim jucun-
dus mihi sit, qvam commercium studiorum cum
industriis ac bonis inire ? DEO autem Immortali,
cujus hīc focos arasq; instruimus, me plane conse-
cro devoveoqve. Nec reticenda clementia ejus,
qva indignum me nulliusq; vel fortis vel virtutis
hominem attecit; nunc ad hæc rostra evexit, qvæ
Divi Lutheri vestigia ostendunt; tūm qvoq; o-
tium liberalissimū indulxit, ut nec curis domesticis
distentus nec cum rei familiaris squaloribus con-
flictatus bonis literis ac offici rationibus planè va-
care possim ! Idem æternum Numen cœptis me-
is imposterum adspiret & annuat, omniumqve
rerum exoptatum largiatur eventum. In primis
autem Sereniss. Patriæ PATREM, Nutricium Cle-
mentissimū unà cum augustissimâ Saxonum pro-
sapiâ servet ac sospitet, ut semper floreat, surgatq;
& invidendo qvodam successu dominetur. De-
niq;

niqve afflictissimam ECCLESIAM protegat DEUS,
& qvæ Ecclesiæ Alumna est, ACADEMIAM nostram
augeat indies, fulciatqve, ut emineat studiis, abun-
det egregiis civibus & velut in fastigio constituta
despiciat hostes ac de qvavis superatâ clade
feliciter triumphet!

DIXI.



ACCESTIT
PROGRAMMA
POSTERIORI
ORATIONI
PRÆMISSUM.

QVæ omnium ore celebratur atq;
traditur in Scholis nostris, FIDEI ANALO-
GIA ; adeo diffidenter ac dubiè explicatur
Auctoriis, ut nec in describenda illius indole ac
naturâ consentiant omnes , nec qvam inde conse-
qvimur utilitatem, fatis liqvidò exponant. Erudi-
tum certè nomen Analogia est, suosq; natales Ma-
thematicorum filiiis debet, qvibus Euclide potissi-
mum Auctore, Analogia rationum similitudo est,
qva

*Euclid. lib.
V. Def. 4.*

qua numeri ipsæque magnitudines inter se comparantur. Quæ enim ratio quaternarii ad binarium, eadem quoque octonarii ad quaternarium est: & quantò longior est pes Herculeus alterius cujusdam pede; tantò item stadium Herculeo pede sexcenties finitum longius est eō stadiō, qvod alterius pede transmissum fuit. Cujus quidem Analogiae seu proportionis cùm ea præcipue vis sit, ut æqvalitatem juxta & inæqvalitatem comonstret, tacitasque argumentandi rationes involvat; sapienter admodum Apostolus: *nata τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως exactum cupit* cuiusvis vaticinii interpretamentum, ut congruatne cum illâ, an pugnet; utrum ex hâc quasi præviâ quadam duce inferri queat, an negari, planissimè perspiciatur. Itaque illa fidei Analogia nihil aliud nobis est, quam doctrinæ Christianæ ex illustribus Scripturæ testimoniis concinnatæ *ὑπότύπωσις*, ad quam reliquorum locorum interpretationes veluti ad regulam exiguntur, indeque haud difficulter dijudicantur. Qvod *ὑπότύπωσιν* D.Apostolus appellat, id *formam* & *exemplar archetypum* ex veterum mente interpretor; nec seorsim sentio ab iis, qui aliis paulo diversisq; vocibus rem exprimunt, quando in eandem nobiscum sententiam incumbunt. Cùm enim hâc Fidei Formâ velut

Esel. lib. cit.

*Rom. IX. 6.
coll. I. Cor.*

XIV. 32.

2. Tim. I. 13.

velut anchorâ & firmamento qvôdam inimitamur;
Ancoratum appellat Epiphanius; Basilius vero
'Οχύρωμα τῶν δογμάτων. Cùm erudiendis
hominum animis inserviat; *Institutionum* no-
mine illam efferunt Laetantius & Aurel. Cassio-
dorus. Cùm Apostolicæ doctrinæ ad amissim
respondeat; *Catholicæ* iuxta & *Orthodoxæ* *Fidei*
titulo eandem insigniunt Athanasius, Augustinus,
Proclus, Victor Africanus, Damascenus. Deni-
que cùm fiat, ut communi Ecclesiæ calculo appro-
betur, ac instar militaris tesseræ ad distingvendum
à lectis ordinibus hostem adhibetur; exquisitô
reconditoqve Symboli nomine per omniem anti-
qvitatem innotuit. Neqve vero hæc Analogia
ac Summa fidei sui expers principii est, aut velut
Academia Arcesilæ ambiguos opinionum lusus
venditat: sed uti ratio nostrâ arcane qvodam
motu ad assentiendum inflebitur: *binarium in*
quaternario bis continens, perinde quoqve sub-
limius illud & divini Numinis afflatu editum ver-
bum percellit animum nostrum ac terebrat, atqve
ad fidem mysteriis habendam trahit. Qvæ as-
sensio licet in rebus supra hominis judicium po-
sitis langvida & exanimis sit, nec ingenitâ virtute
suâ eluetetur; Sancti tamen SPIRITUS auxilio e-
mergit, viresqve credendi concipit tam validas, ut
ἀπόδειξις Πνεύματος omni demonstratione

I.Cor.II, 4;

Py-

Pythagoricâ firmior in animo relinquitur. Jam nulla doctrinæ cœlestis pars est, qvæ non revelatō hoc innitatur principio, perspicuisq; & illustribus S. Scripturæ testimoniis stabiliatur. Suam undiqva-
que divinitatem prodit Scriptura, sed non undi-
qvaq; articulum fidei proponit. Delecti cancelli
sunt, sedesq;e propriæ & reliqvis aliquanto insi-
gniores, ex qvibus, veluti sparsæ per S. Scripturam
gemmae, colliguntur capita fidei, qvæ ut axiomata
in disciplinis, demonstrationem non requirunt,
sed ipsa sibi demonstrationis instar sunt, facemq;e
præferunt, & paulo occultiorib; locis fœnerantur
lucem. Ita Illustris sedes est, qvâ *DEUS peccatum
non velle*, disertis verbis perhibetur, nec aliud do-
ctrina de Sanctitate DEI evincit. Qvæ proinde de
Induratione Pharaonis, de Davide ad numeran-
dum populum concitatō leguntur, in eām expli-
canda sententiam sunt, ne oblucentur priori dog-
mati & tam perspicuo fidei capitū tenebras offun-
dant. Sic loco non uno classica firmatur doctrina,
*Christum solutō sanguinis pretio à peccatis nos re-
demisse.* Cum igitur Regem desistere & peccata sua
justitiā & eleemosynis redimere jubet Propheta:
qværenda interpretatio est principali doctrinæ a-
nalogia & conformis; qvæ non tantum ex fonte,
ubi abrumpendi verbum occurrit, sed ex con-
textu quoq;e ultro elicetur. Ex his itaq;e tali-
busq; Scripturæ perspicuis sedibus, qvæ collecta &
in

Psalm. V, 5.

*I. Job I, 7.
Rom. III, 25.*

*&c.
Dan. IV, 27.*

c. V, 19.

in quoddam velut Syntagma congesta est, doctrina co-
lestis; Fidei Analogia probatiorum interpretum consen-
su appellatur. Evidem cùm verbis Ecclesiæ Docto-
rum hodie concinnetur ejusmodi Summa fidei, alioqve
& alio ordine, qvem qvisqve pulcrum putat, digeratur,
minimè vero existimandum, in autoritatem humanam
& veracitatem dicentis, qvam concipimus, fidem revolvi.
Namqve per se, ut normæ ἀξιοτίσω, credimus Scriptu-
ræ divinæ, atque in hanc postremū recedit, in hâc uni-
cè acqviescit fides nostra: Ibris autem sive Patrum si-
ve Neotericorum dogmaticis, propter perpetuum cum
Scriptura consensum adstipulamur, qvodcum illâ, tan-
qvm unicô veritatis fonte, immotoqve fundamentô
congruere censemur. Extat Concilii Arauficani Canon
VII. in hunc sensum scriptus: *neminem ex se posse cre-
dere aut diligere, sicut oportet.* Qvō qvidem accendi
fides & qvodammodo excitari potest, cùm qvoad rem
& sententiam ipsum DE verbum sit; Sed si tamen fluctu-
et illa & dubitet, minimè ad sedandos hos fluctus sufficit;
Canonem antiquiorem Palæstinum eodem sensu allega-
te autâ Palæstino ad Nicenum, ab hâc ad Apostolicum
provocare: unicum Christi effatum est, ex quo pendet Ca-
non, & qvō convincitur ac tranquillatur conscientia cre-
dentiis: *Sine me nihil potestis facere.* Interim verò ad-
huc regulæ normæqve vicem obtinet, quæ ex sacris literis *Job. XV. 5.*
extructa est Fidei Analogia. Non qvod fidem ultimatò
normet illa, sed primum veluti impetum hostium sustine-
at, pugnantemq; ac diffilientem doctrinamâ consentien-

F

ti

ti & rectâ discernat. Cum adhibita intentio incertum

Doctr. Christ. esse providerit, inquit Augustinus, quomodo distin-

LIII. c. II. guendum, aut pronunciandum sit, consulat Regulam

P. 87. fidei, quam de scripturarum planioribus locis percepit.

Nec ab his partibus dissident Nostrates, qui B. Glassium
sequntur, ita pronunciantem: ex claris & perspicuis di-

Phil. S. L. II. Etis de singulis fidei dogmatibus, Fidei Regula, h.e. arti-

P. II. p. 355. culorum scitu ad salutem necessariorum, Systema, in-

star catene aureæ connectitur ac colligitur. Tantiau-
tem refert comprehensam divinis literis tenere ποτύπω-
σιν sanorum verborum atq; dogmatum, uteâ, ceu qvi-
dam contendunt, omissâ pronam ad errores viam aperi-
ri; rectè autem fideliterq; exultâ, dignosci errantes, hære-
ticos confelli, dubia & controversa enodari, ipsam deniq;
scripturam in abstrusis difficilibusque locis explicari faci-
lius posse existimem.

Proditum memoriæ est, in Con-
cilio Nicenô cum acutissimo Philosopho contendisse. Se-
nem, nec velitationum peritum, nec in argutiis Dialecticis
subactum, sed fratum integritate vitæ & Christianæ doctri-

Socratem næ recte intelligentem. Qvare certamen ingressus, non

vide L. I. H. acervalibus eductis conclusionibus coëgit Sophistam, qui

E. c. II X. p. tot aculeatis dicterioris fatigaverat omnes, sed unica fidei A-

20. & Sozo- menum L. I. nalogiâ, qvæ Symbolo Apostolico continetur, diductâ

H. E. cap. qvidem illâ & ex sacris literis firmatâ, superior discessit, ut

XIIX. p. sateretur Philosophus, se non sine divino Numinе devi-

431. quidem illâ & ex sacris literis firmatâ, superior discessit, ut

Christi fidem impulsum fuisse, Divus certè Lutherus nul-

la

la re magis innitebatur, quam congruente cum sacris literis ex iisdemque collectâ fidei Analogia: cuius adeo beneficio & dextre interpretabatur Scripturam & ex omnibus hostium congressibus victor redibat. *Id in primis con-*
siderare soleo, inquit, an congruat expositio cum Ana-
logia & sensu fidei. Hinc incertamine cum Eecio, Pon-
tificem R. caput Ecclesiæ esse, contendente, sententiam defendebat Scripturis conformem: Christum unicum Ecclesiæ caput esse; futuram autem monstro similem Ecclesiam, quæ duobus in uno corpore capitibus emineat. Sic, cùm in Colloqvio Jeverensi objiceretur Hamelmanno: infantes esse sanctos, nec ideo Exorcismi ritu abluendos, re-
spondebat ille ex fidei Analogia : *infantes in peccatis* 540.
natos & conceptos, naturâ filios iræ, morti, adeoque ipsi Autori mortis Diabolo subjectos esse: quo ipso par-
tes suas egregie tuebatur. Nunquam forte provocatum ad Analogiam crebrius est, quam in Colloqvio Mompelgar-
teni. Cùm enim Christi in terris præsentia ideo negaret T. Beza, quod omne corpus circumscriptum loco sit; ac pro se Analogiam fidei allegaret: respondebat J. Andreæ, *banc non esse fidei Analogiam, sed ratiocinationem ex Philo-*
sophiâ humanaâ petitam, contra fidei Analogiam quæ
testetur diserte: Christum super omnes caelos evectum V. Acta
omnia implere. Sed de his non tam dicendi quam pu-
blico opere agendi campum mihi DEI munere & provi-
dentiâ apertum conspicio. Ex quô enim divinis auspi-
ciis

119
5840
6A

ciis SERENISS. ac POTENTISSL. ELE-
CTOR SAXONIÆ DN. JOHAN-
NES GEORGIUS IV. NUTRITIUS

noster longè Clementissimus, præviâ Amplissimi Acade-
miæ Senatus commendatione , provinciam docendæ
Theologiæ publicam mihi præter exspectationem & me-
ritum benignissimè demandavit: ræcipuam munera mei
partem esse intelligo, Fidei Analogiam ea qvâ par est, dex-
teritate inculcare. Cùm vero superiorum nutu ac volun-
tate Epistolarum S. Johannis interpretatio injuncta mihi
sit; non omni tantum contentione sed dimicatione quoq;
ac studio in hoc negotium incumbam: Privatis interea la-
boribus eam, qvam intendo operam, conjecturus. Dein-
ceps quoq; ad Conciones publicas in templo , ut fieri
consuevit, Academicô me accingam & singulis Jovis die-
bus Fidei Articulum ex classico Scripturæ dicto , populari
sermone explicabo. Ne vero morem antiquum migrem,
crastino die, propitio Nume , Orationem Inauguralem
præmittam ; ad qvam audiendam MAGNIFICUM A-
CADEM. RECIOREM , PER ILLUS FREM LIB.
BARONEM, PATRESQVE ac CIVES universos , ea qva
par est animi observantia & humanitate invito P. P.

DOMINICA XII. post TRINITATIS
A. d^o 15c XCI.

1000

22.2.

ELE-
AN-
ITIUS
Acade-
cendæ
& me-
ris mei
t, dex-
volun-
michi
qvoq;
reâ la-
Dein-
t fieri
s die-
pulari
grem,
ralem
M A-
LIB.
a qva
P.

ULB Halle
004 965 868

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-37803-p0048-7

DFG

AK 194. (10)

JO. GE

ORAT

QVA

NUM

QUO D. L.
STADIUM

DIV

A

HAB


Apud JEREMIA

Kodak

LICENSED PRODUCT
Black

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

3/Color



Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color
Black



NNI

JÆ,

EO,
ROLO,
OVO=

NE

4

194. 194. (10)
J. N. J. H. B.
D. N. N. S.
T. C. O. C.
A. R. I. O. P.